

Rudolph Caukerchius


**ORNATISSIMIS INGENIO, DO-||ctrina et morum suavitate juvenibus,|| Dominis,
Dn.|| THEODORO || PLONNIES, PA=||TRICIO LVBECENSI:|| DN. CASPARO ||
SVVARTEKOP Patricio || Rostochiensi, J. V. Studiosis, com-||mensialibus &
convictoribus suavissimis,|| amicis carissimis,|| PROPEMPTICON HOC <IN QVO
ITA-||lici itineris seriem, cum praecipuarum urbium origini-||bus ac historijs
attingit> suavißimae recordatio-||nis ergo accinebat,|| RVDOLPHVS
CAVKERCHIVS || Belga I. V. studiosus.||**

Rostock: Reusner, Christoph aus Neustadt, 1597

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1741678889>

Druck Freier  Zugang





100
2806

~~A. Dd. 6~~

~~Heber V-5344~~

~~with 4 more #1~~

69-2065 1-30


<SON>



Prox long he de h ed m

- 4 -






00 25.
ORNATISSIMIS INGENIO, DO-
ctrina & morum suavitate juvenibus,
Dominis, Dn.

THEODORO
PLONNIES, PA-
TRICIO LVBECENSI;

DN. CASPARO
SVARTEKOP Patricio
Rostochiensis, J. V. Studiosis, com-
mentaribus & convictoribus suavissimis,
amicis carissimis,

PROPEMPTICON HOC (IN QVO ITA-
lici itineris seriem, cum precipuarum urbium origini-
bus ac historijs attingi) suavissima recordatio-
nis ergo accinebat,

RVDOLPHVS CAVKERCHIVS
Belga, I. V. studiosus,



ROSTOCHII

Excudebat Christophorus Reusnerus, Anno 1597.



Hæc Ragon Roseti Palladium nemus,
Et hæc Sareptæ littora Balthicæ
Mutabitis: diversa nostris
Sideribusq; polisq; regna
Vrbesq; visuri, & geminum mare
Depræliantis quod rabie Noti,
Austroq; commotum, inquieto
Murmure pulsat utrumq; littus.
Et quâ calentem prospicit Africam
Hetrusca tellus, quâ borealior
Picentium triumphat Ancon
Navibus omnigenaq; merce?
Ite ô secundo numine. vos DEVS,
Supraq; vulgum mens generosior
Protrudit ignotum per orbem
Multiscix experientix artem
Haurire passim & vitæ imitamina
Sanctæ intueri. Scilicet hac via
Virtutis exemplar paratur,
Et sapere alterius periculo.
Perjura quem non mœnia Troiæ
Vitare luxus & Venerem docent?
Corinthus, Argos, atq; Athenæ
Postgenito documenta seculo
Præbent,



Præbent, nihil sub sole p̄renniter
Durare. Quem non commoneant brevis

Vitaꝝ, fortunaꝝq; nostra,

Tot subitaꝝ imperijs ruinaꝝ ?

Nempe urbium conspecta cadavera

Fastum retundunt, & nova mœnia

Surgentia, instantem monebunt

Funeris extimuisse cladem.

Testis mearum Dulichius senex

Sententiarum, qui viridi ferox

Ætate, bellum ad alta Trojæ

Mœnia continuavit annis

Bis quinq; donec per toridem mari

lactatus æstates, Siculi horridum

Cyclopi antrum & illecebras

Vicit Atlantiadæ Calypsus.

Testes mearum, quotquot erunt, quibus

Sinistra rectè subsiliens quatit

Mamilla pectus, qui calentes

Sole alio petiére terras.

Videmus hic ut fronde beatior

Maritet ulmum pampinus; ut seges

Hic turgidis surgens aristis,

Messe famem uberiore pellat.

Ita & Minervalis sapientium

Seges virorum, sparsa per omnium

Provinciarumq; urbiumq;

Nobilium cohonestat agros.

A 2

Illic

Illic refulget qui Ciceronio
Lepore plenus pulpita mulceat,
Hic qui suaviore plectro,
Ad citharam cieat Camœnas.
Illic in Astrææ penetralia
Iuvabit ire aut Menochio duce,
Aut Pacio: illic in Galeni
Cum duce se penetrare campos.
Quantam & vetustis historijs facem,
Præbebit hæc atq; illa oculis loca
Lustrasse, clara antiquitate
Et varijs memorata bellis;
Vix Rhetorum saxea montium
Vix Alpium prærupta cacumina
Transvecti, in objectos soluto
Lumine despietis agros,
Collesq; amicos frugibus & mero;
Mox inquieto firmior Hadria,
Vdum efferet caput profundo,
Fluctibus in medijs triumphans
Non urbs, sed orbis. O domina æquoris!
O sola ventosi domitrix freti &
Miraculum advenæ stupenti
Te in pelago potuisse condi!
Illinc amicam visite dulcibus
Sedem Camœnis, quam profugus domo
Et Patriæ Antenor superstes,
Collibus Euganeis locavit.

Sci
Venetia

Patavium.

Hæc

Hæc una nobis historico virum
Puro fluentem nectare protulit,
Paulumq; quem miratur omnis
Iusticiæ studiosa pubes.
Hæc Thessalos qui concineret duces, †
Primamq; classẽ & prælia Colchidos,
Sævosq; Medææ calores
Præbuit, Asconiumq; nobis;
Pluresq; : Sed vos inde Vicetiam
Abite fausti, visite mœnia
Vetusta quæ regnante Prisco
Tarquinio posuere Galli.
Verona posthanc. O Itali soli
Ocelle, ubi olim Scaligeram domus
Auita fulsit! nunc potenti
Sub Venero dominata: florens
Verona, qua non altera sævius
Heræ impotentis iacta libidine,
Qua nulla majori coire
Sanguineas acies tumultu
Vidit; parentum, sive vetustior
Legatur ætas Cæsaris tumens.
Hic sanguine irrigavit agros †
Æmulus imperij Sabinus.
Hic Odoacer cum grege barbaro *
Terram momordit: Pannonij truces
Ducente Lamberto, sepulchrum †
Cum Bavaris habuere campos. *

A 3

Non-

Livium Patavi-
num.

Iulium Paulum,
J. C. consilia-
rium Alexand.
Severi Imp.
† Valerium Flac-
cum.

Vincenia hodie.
vid. Sext. Pomp.
Trog.

† Sabinus Iulianus
caesus à Carinno
Imp.

** Odoacer Rugius*
caesus à Theodorico
Veronensi An-
no 491.

† Lambertus Spo-
letanus cū 1000.
Hungar. à Be-
rengario.

** Arnoldus Ba-*
varus ab Hugone
Rudolphi Bur-
gundi filio.

Venetorum elades anno 1509. 6 1513.

Amph. Venonense.

Connubio, Friederici cum Margareta Palaeologa. 1531.

Nondum expiatis uncta crüoribus
Terrâ resurgit fertilior seges,
Cum decoloravêre campos
Imperij Venetûmq; bella.
Horretis hæc funesta? recedite
Mecum ad potentis mania Mantuæ,
Sed ante ibidem conspicati
Nobilis Amphitheatri Arenam.
Ambita tardo Mantua Mincio
Vos recreabit: Mantua Virgili
Cunis & æterni poetæ
Perpetuis celebrata scriptis.
Non sumtuosis ulla palatijs
Vetustiori nulla ab origine
Magis triumphat. Nondum aratrum
Mœnibus Iliacis Pelasgi
Impresserant; jam fatidicæ tamen
Stetère Manthus mœnia, triplici
Coacta gente: jam Bianor
Imperij hic solium locarat.
Quod nunc potenti scepra gerens manu,
Montisq; Ferrati titulo cluens
Gonzaga stirps pari gubernat
Iustitia sapientiaq;.
Vultis secundo jam quoq; flumine
Descendere ultra, per Phaëtonij
Amœna fluminis vireta,
Prataq; populeosq; saltus?

Et

Et conspicari tot veluti rosas
Circumjacentes? atq; Mirandulam
Concordiamq; ? ubi ille Picus
Non tibi sanguinolente Mavors
Verum patrimæ Pallados artibus
Devotus, hausit fidereum jubar,
Tot perspicaci interpretatus
Enthea dogmata veritate.
Formosa dum Ferrara vos suis
Lætata portis suscipiat lubens:
Nullis secunda, sive cælum,
Moenia, fluviorumq; regem,
Sive incolarum candida pectora,
Manusq; promptas, stemmaq; nobile
Estensium longo verendos
Syrmate contuear nepotes.
Sensere Iberi bella sub Hercule
Ferrariensi gesta. quid Italæ
Vires & infracta arma possent,
Edocuit quoq; nuper audax
Alphonsus, illo patre ferocior.
Qui Maximo sese Aemylio ducem,
Dignumq; tanta affinitate
Finibus Aemonijs probavit.
Quid disciplinarum omnigenum genus
Artesq; dicam ? quis velut æmula
Bononiæ viciniore
Surripere hoc quoq; gloriæ optat?

Lustra.

*Picus Concordiæ
& Mirandulæ
comitæ.*

*Hercules I I.
Cogn. Dives dux
copiarum Hen-
rici II. Gallis
regis 1557.
Alphonsus I I.
Herc: filius mili-
tavit Maximi-
liano II. affinis.
1566.*

Lustratē vosmet singula : mē rapit

Ardor venustæ docta Bononiæ

Adire pulpita , & feraces

Labinij Æmilijq; Rheni

*In Insulâ ad con-
suentem Rheni
& Labinij, con-
juratio inita ab
Antonio , Lepi-
do & Augusto.*

Campos: ubi olim nempe Triumvirâ

Vnita vis est exitio Imperi,

Tot unde proscripti Quirites

Carnificum periêre dextra.

Quænam optimatum terra cruoribus

Immunis ? Ecquis cede Quiritium

Campus vacavit, occupato

Imperio patriæq; rebus ?

*Conobium S.
Michaelis*

Lubebit illinc fortè monasticis

Tectis nitentem visere sylvulam,

Iugisq; Apennini jacentes

Liberius peragrarè campos.

Vnde in Togatam lumina Galliam

Et clara cellis oppida paribus

Circumferatis ; unde amœnos

Ad Mutinam videatis agros,

Multa notatos clade. Ibi Cæsaris

Nondum expiatâ cæde ferocior

*Prelium ad Mu-
tinam in quo
Antonius Pan-
sam & Histium
Coss. cecidit.*

Antonius Romana pila

Atque Aquilas Aquilis minantes

Vtroq; ductas consule dissipans,

Vtrumq; stravit. Quærere distuli

An victor, an victus : ruinam

Certus eum patriæ attulisse.

Sed

Sed quò relicta musa procax viã
Vagamur? altum rursus ad Adriam
 Vetusta nos sermone vulgi
 Nobilitata vocat Ravenna.
Illam è Pelasgis Thermopylis genus
Ferox virorum fluctibus Adriæ
 Exstruxerant virentis alni
 Et tabulis, solidaq; quercu.
Sed hos Sabini rursus Achaiæ
Priscæ relictos visere limites
 Umbriq; compulere, donec
 Hos etiam pepulere Boii,
Boios Quiritum vis animosior:
Exinde muris, cincta libidinem
 Vicesq; belli sensit, atq;
 Hesperia simul in ruinã
Septentrionales habuit Gothos,
Et Longobardos deniq; Gallicis
 Armis fugatos, inde Papam,
 Nunc Veneto regitur Senatu.
Olim alluenti pervia marmore,
Sed nunc aquosis sicca paludibus
 Ostentat agrorum stupendas
 Divitias opulentiamq;
Abimus? an delectat amabilis
Abblandienti vos Rubicon vado?
 Quem perduellione Cæsar
 Et variis decoravit ausis?

B

*Ravenna VE-
TUS vulgo dicta,
condita à Thes-
salis è ligno vide.
Strabonem.*

*Vide Stephani
Pighij PRINCI-
CIPEM JV-
VENTVTIS.*

*Vide Curionis
Orationem a-
pud Lucanum.*

Sar

Sat hic moratum est. tempus ad alteram
Hortatur urbem, sive Ariminium
Cognomini fluctu rigatum,
Flaminiam Æmiliamq; juxta
Vias placebit, seu magis Adriæ
Viciniore carpere limites:

*Feltrij Urbina-
rium duces.*

Vbi Pisaurum, Feltrijsq;
Regia principibus refulget

*Iulia Fanestris ab
Augusto condita
hodie FANO à ce
lebrè FORTVNA
FANO.*

Vrbinum: & illinc visere Iulix
Fanestris ædes & veterem Deæ

Rhamnusiæ aram, conspicantes
Marmora cum titulis vetusta.

*Historia est apud
Livium
lib. XXVII. &
Horatium 4.
Odar. 4.*

Quid Liviis, quid Roma Neronibus
Debet, Metaurum flumen & accolæ
Loquentur Vmbris; cum fugatus
Afer, & Asdrubal interemtus

Inauspicatos Hannibalis dolos
Diramq; mentem contudit, ac metu
Plenum, ominarier coegit
Funera jam pereuntis urbis.

*Vide de Totyla
devicto & Go-
this ex Italia pul-
sis apud Procop.
lib. 3.*

Quantum Gothorum salva tyrannide
Iustiniano sæcula debeant,

Dicet Metaurus atq; Narses,
Et Totylæ morientia ora.

*Semmones ad in-
ternecionē deliui
P. Dolabella Coss.
Vide Plin. lib. 4.
c. 22.*

Vicina testis Sena, quibus locis
Labentis Æsi flumina, Semnonum
Cruore mutarint colorem,
Sanguineis rubicunda guttis.

Et Do-

Et Dorica Ancon, cur Siracossij,
Lares paternos, & Siculum fretum
Liquère, promontorioq;
Hunc Cumero apposuerè portum.

E marmore illic condiderat potens
Trajanus olim portum, & in Adriam
Curvarat objectum. sed heu vix
Longa dies titulos reliquit.

Numanæ ubi nunc mœnia? ubi cluens
Potentia? & quot littore in Adriæ
Stetere? Trajanæq; vix jam
Rudera conspicietis urbis.

Vbi Auximates & Beregranij?
Septempedanos quis mihi quo loci
Monstrabit olim constitere?
Salvia ubi Triacensis extat?

Quæ clara quondam, nunc veniens dies
Obliviosa nocte recondidit,
Idemq; supplendo ruinas,
Cum populis reparavit urbes

Novo nitentes nomine. fortè quas
Seri nepotes tempore nescient
Futuro ubi fatalis hora
Verterit imperij tenorem.

Sed vos querelis examinans meis,
Hic intra Aterni detineo vada,
Transite, Pelignumq; Sulmo-
nem Ingenio celebrem poetæ:

B 2

Marfosq;

*Ancon à Syracu-
sanis condita.*

*Vide Ortelij
Theatrum &
Plinium lib. 3-*

*Sulmo Ovidij
patria.*

Marfosq; Vestinosq; Quiritium,
Nota è triumphis nomina, nunc ubi
Aprutium objectas repellit
Æquoris Adriaci procellas.

Vicinus illi Daunius Appulus,
Latè sonanti lotus ab Aufido
Prospectat Epyrum, & nivalis
Dalmatiæ Illyricosq; campos.

Q Horatius
Flaccus Apuliã
oriundus.

Hinc clarus almã Flaccus adoreã
Non ante notis carminibus lyram!
Pulsavit, audacem æmulatus
Æolijs fidibus puellam.

*Vide Oden ult.
lib. 3.*

O clara tali prole Venusia!
Romana quamvis nunc capitolia
Non scandat ad Iovem verendus
Virgine cum tacitã sacerdos.

Non si Maronis Parthenopen cinis
Commendet orbi, dulcis Horatij
Cunæ latebunt, dum Poetæ,
Dumq; superfuerint Camœnæ.

Satis Boréo in littore, nunc age

Visamus Appennicolas ubi
Vicinus Hirpinos LAVORI,
Nobilitat quoq; tractus agros.

*Campania vetus
hodie TERRA
DILAVORO
Plinio Laboria.*

Vbi voluptas Hannibali effero
Blandita, inertem compulit otio,
Languere; quod nec ante Iberus,
Nec Latix potuère vires.

Fera-

Feraciores non alibi Ceres
Vidisse campos creditur, haut Deus
Bimater hæc vineta campis
Lesbiacis Rhodyſve mutet.
Mugitor illis intonuit frequens
Vefeſſus oris & cineres agris
Sparſit propinquis, flammas
Evomuit velut altera Ætna.
Verùm Imperantis temporibus Titi
Latè æſtuantes ejaculans faces,
Abſumſit immortale mundi, ac
Hiſtoriæ decus univerſæ.
Vixiſſet ultrà ponere ſi modum
Humana poſſet mens ſapientiæ,
Quem tum nimis feſtina damno
Mors rapuit violenta noſtro.
Sed hoc inani murmure perpetim
Lugebit ætas vix reparabile.
Vos Nobilem, doctam & ſalubrem
Parthenopes ſubeatis urbem
Iunoniâ illuc nobilis è Samo
Profeſtus olim Panthöides ſenex
Luxum voluptatesq; vitâ
Edocuit meliore tolli:
Hic in reductis Panſylipi jugis
Curis ſolutos ac vacuos metu
Pontanum & Actium canentes
Sæpiùs obſtupère Muſæ.

B 3

Hic

*Vefuvius Campa-
nis mons flam-
mas evomens.*

*Plinij Hiſtorici
interitus in incen-
dio Vefuvij. An-
no 82. 2. No-
vemb.*

*Neapolis à Syre-
nis ſepulcro ibi
invento Parthe-
nope dicta, vulgo
NOBILIS co-
gnominata.
† Pythagoras Nea-
poli docuit.
* Ioh. Iovianus
Pontanus & A-
ethius Syncerus
Sannazarius.*

Hinc Guicciardinus & Iovius suas historias ordiuntur ab anno 1494.

Joanna II. Neapolis Regina Alphonsum primo mox Ludovicum Andegavensem adoptans multorum bellorum fax fuit.

Bajus Vlystis filius Bajarum conditor. Caieta ab Aenea condita.

Hic fulminantem ad mœnia Carolum
Sensere victi mox Aragonij,
Sensere Iberi Ludovicum
Milite Francigeno minacem.

Quid multa? cui non dissidio facem,
Ioanna subdit: fœmineo impotens
Amore commutans maritos
Atq; animo levioꝛe pellens?
Pacata sed nunc oceano tremor
Toto refulget, jam Numadum genus
Turcosq; nauigare inultos
Ad Siculum prohibet Pachynum.

Hæc Guicciardinæ historiæ facem
Lustrata præbent; hæc Iovium explicant:
Sortemq; commonstrant futuram
Totmodæ in Imperijs ruinæ.
Cumasne dicam fatidicas dehinc,
An fastuosæ mœnia Capuæ;

Vtramq; Vulturno rigatam?
Aut Ithaci monumenta Baij
Bajas amœnas? an Phrygiæ finum
Nutricis? an candentibus undiq;
Saxis refulgens Anxur? an quod
Diva volubilior procellis
Volsorum honestat finibus Antium?
An vos profundi ad Tybridos ostium
Dicam Ostiates? an superba
Dardaniæ monumenta Romæ?
Olim

Olim orbis ingentis Domina & caput:

Nunc vilis illi seruulus imperat

Servorum, ô inconstantis auræ

Et varii documenta casus!

Sed hæc, Hetruscum & quidquid apud mare

Clarum superbit, vos reduces mihi

Narrabitis fesso canenti,

Pendulus hæc ego ab ore vestro

Discam, quis altum nunc Deus incolat

Soraçte, quos Nar, quos lacus irriget

Velinus, æternumq; vulnus

Imperii Thrasymenus agros.

Dicetis hic ut perfidus Hannibal

Ter quinq; cæsis millibus, impigros

In turre Collinâ maritos

Terruerit, trepidasq; matres.

Dicetis AntonI celebrem fame

Perusiam: utq; huic proxima Glanicus

Cortonis irroret vireta:

Vt positas meliore cælo

Senas venustæ lumen Hetruriæ

Humectet Vmbro. Quis dominam laver

Fluentiam. utq; Medicæi

Antidoto medicata sceptri

Cesset cruentas seditionibus

Miscere pugnas; nunc facilem sequi

Gallum attrahens, vel inquietum

Æquoris Hadriaci Senatum.

Vide Livium,

Plin. lib. 2. c.

40. Ovid. 6.

Fastor.

Antonius ab O-

Elavio Perusia

obsessus.

Florentia olim

Eluentia.

Vide de his Io-

vium & Guic-

ciardinum.

Justinia-

Pandectæ Pisanis
à Gino Caponio
Florentinorum
duce devictis,
ablatæ. 1406.
Prelium ad Pa-
pianam 1525. 24.
Febr.

Rheni fontes
in Tulyjs & Adu-
lis alpijs.

Iustiniani jam viduam libris

Lugere Pisanorum Academiam

Narrabitis, fidumq; Ibero,

Vix aliis, Genuense littus.

Vos ad Ticinum prælia, & accolas

Dicetis urbes, vos caput Insubrum &

Lombardiæ recentioris

Divitias simul accinetis.

Vos me per alpes & juga montium

Ducetis, illinc ut videam lubens

E. Iulius Rhenum bicornem,

Ad patrios properare Belgas.

Et plura. Nam quis ponat amabili

Metam loquelæ? Non Veneris faces,

Non aura matutina, non nos

Sidera cum tenebris movebunt.

Desideratam quando erit ut diem

Ver adferat, quando ob reduces novo

Cultu, salutato parente

Et patriâ trepidisq; amicis,

Votiva damnas solvere carmina


Compellar, & vos Rostochiensium


Liquore perfundens suavi,


Me simul exhilarem atq; amicos?


F I N I S.











9
2065 1-30
= =

Suffragiorum non sine calculo,
Dius & ipsis propitius. age
Mittamus & te prosequamur
Ominibus placidis euntem.
Famne expeditus nauita Cimbricam
Balthen & vda tendit ad Hafnia
Litus? secundis auspicio
Vtere, dum vocat aura, velis.
Pro te paternâ qui sedet in domo
Quicumq; fratrum, tergemina alleuant
Pro te parentes vota. quantâ
Excipiere redux coronâ
Congratulantum? detineat caue,
Te Cimber illex, & licet imperans
Regnis duobus, CHRISTIANV
Nec soror unica CHRISTIA

